

## Alte Drucke

**Cl. Poli de trium seculorum Romanis pontificibus, hoc est,  
ab anno 1274 in annum 1592.**

**Polus, Clemens**

**Königsberg, 1592**

**VD16 P 4075**

**CAPITA DOCTRINAE Johannis Huss fuerunt.**

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149473](http://urn.nbn.de:gbv:ha33-1-149473)

# C A P I T A D O C T R I N Æ

Johannis Huss fuerunt.

1. Dignitate aut officio non præstare presbyterum, sed vita doctrinae integritate.
2. Non esse purgatorium. Oblationes ac sacrificia pro mortuis, inventa avaritæ presbyterorum esse.
3. Imagines DEI ac Sanctorum, lustrationes salis, aquæ &c. res superuacaneas esse contrâ verbum DEI ab hominibus institutas.
4. Ordines mendicantes mali genii inuentum esse.
5. Baptismo aquæ non esse oleum aut spiritum aut similes conspurcations addendas.
6. Templum DEI mundum est. Non esse operosè alligatum ædificia hominum artibus structis.
7. Mundum presbyterorum inanitatem esse.
8. Frustrè implorari sanctos. Tempus perire horis Canonici.
9. Ieiunia nihil mereri.
10. Eucharistiam totam debere reddi. Missam rejiciunt, retentæ communione cæna, verbi DEI explicatione, oratine aliisque articulis sacrae Scripturæ.
11. Pontificem Romanum in ordinem redigunt, e qualibet alii Episcopis esse dicunt.

Offa Viclefi concili, decreto combusta sunt, prohibitiūq; nè Laici intraq; parte Eucharistia utantur. Decretū tandem, concilium posse judicare atq; exautorare Pontificem, decretaq; ferre, quibus cogantur Pontifices parere.

Iohannes Pontifex cum videret multa sibi tandem crimina in eo concilio objici, fugam dedit ope Austriae Ducis Friderici & consilio Archiepiscopi Maguntini; quanquam ne id euenire posset, Imperator omnem daret operam

operam. Fugit igitur Scaffhusium inde Lauffenbergum,  
inde Friburgum, ut in Eleduo se uaderet. Quare Austr  
acum, Imperator ad concilium vocatum, ac non compa  
rentem, omni sua ditione multauit, absoluens eius subdi  
tos à jure iurando ei dato, eiusq; bona ac corpus publica  
uit. Vnde Eluetii Badenam, alii alia abrauerunt, qua  
non sunt buius instituti. Iohannes autem, ex fuga Con  
stantiam retractus est. Richenauiq; custodia mancipa  
tus; cumq; quadraginta ei intentata crimina Concilio  
ostensa atq; approbata essent, exauctioratus est, ipso etiam  
ex Pontifice, nec sui jam Juris, exauctorationem istam  
(singulari scilicet modestia in vinculis, ac si jus non in  
inuitum maximeq; pœna seruum redderetur,) ratam ba  
bente. Fecerit tamen hoc fortasse serio, metuens ne si per  
seueraret in pertinacia sua, flammis tandem ut Hussius  
ac Pragensis traderetur. Conciliorum volumen facit  
mentionem, de 54 ipsis criminibus, ad quorum singulo  
rum questiones obiectas, cum ejulatu semper responderit;  
Maius sese crimen commisisse, quod in Germaniam ve  
nerit; cui adeò assimile; quod nationes quadam si lepro  
sos, Maranos voces, id omnino ferre non possint; sin fu  
res homicidas, latrones, Diabulos, nulla calculo etiam  
Episcoporum apud eos iniuria est, laudi dicitur. Ex  
Pontifex post condemnationem Palatino comiti in custo  
diam tradebatur, cui per legem exsecutio in summa Chri  
stiani orbis capita, nullo tamen per gratiam Dei, Ponti  
ficumq;

ficūm q̄ ex altera parte, astu declinandorum legitimorum  
judiciorum, alio quām hoc exemplo committitur; caueba-  
turq; nē ullus circa eum esset Italus. Cum Germanis, qui-  
bus custodia commissa per nutus saltem egit. Quo quisq;  
,, minus linguarum atq; artium, D E I Optimi Maximiq;  
,, dona hauserit, saltem videlicet in Italicis suis nugis pra-  
cticisq; occupatus; eo dignior cathedra ista pestilentia ha-  
betur bellua.

Exaugurati sunt deinde à concilio reliqui quoq; Pon-  
tifices, Gregorius, & biennio feré post Benedictus, cuius  
causa ipse Imperator cum aliis concilii legatis, in Galliam,  
Angliam, Hispaniam est profectus. Quare omnes isti Re-  
ges in concilii sententiam iuerunt, istumq; præfractum  
Pontificem reliquerunt.

Johannes verò dimissus tandem ad Martinum, qui  
concilii sententia Pontifex dictus, Florentiam venit,  
eiusq; præter omnium opinionem osculatus pedes, Ponti-  
ficem cum successorem Petri salutavit. Martinus igitur  
assentatione delectatus, aliquot diebus post, Episcopatum  
Thusculanum ei tribuit, in quo post aliquot menses vitam  
finiuit: Florentia, cum maxima pompa, curante Cosmo  
Medice eius amico præcipuo, elatus, terraq; mandatus.  
Sedit excussus anno Regni sui quinto.

20.

Martinus V. Anno Christi 1417.

Otto-

Otto Romanus, de gente Columbiorum, Diaconus  
Cardinalis, omnium consensu in concilio Constantiensi  
per Cardinales 33. electus est, appellatusq; Martinus,  
quod inauguratus sit die S. Martini. Cum de Pseudopon-  
tificibus compositares esset, Sigismundus Imperator porro  
proposuit, ut ageretur de emendandis Ecclesiasticorū mo-  
ribus, reformandaq; Ecclesia, subindeq; rationes fecit, qui-  
bus id negotii confieri posset. Ibi Martinus id eo tempore  
commode fieri posse negavit: Res sibi antē Romanas, ubi  
omnia perdiu sine capite gesta essent, componendas, quodq;  
hoc concilium satis jam diu durasset. Aliud igitur tum  
Concilium Basileam aut ubi id commodissime fieri posset,  
indictum. Pontifex Florentiam rediit, ibiq; duos annos  
commoratus Episcopum eius loci Metropolitani dignitate  
ornauit, eius Diocesi Volaterras, Pistorium ac Fesulas ad-  
jiciens. Maximi profecto labores, titulorum tributio atq;  
excogitatio, quare morum reformationi vacare nequeas.  
Imperatoris omnino prudentissima consilia fuerūt hoc per-  
agendo concilio, sed praterquam quod improbitas cleri ob-  
stiterit reformationem reformidantis, fortuna etiam non  
aspirauit. Quandoquidem hac DEVs iratus laeo ordine  
turbat, qui sanguinem seruorum suorum unius etiam atq;  
alterius, non patitur effundi in ulto, ac porro etiam ea cau-  
sa ad Nicopolin infeliciter pugnatum. Crediderimq; hoc  
tempore, quedam regna, ea saltē causa p̄e aliis felicia  
esse fuisseq; hactenus, quod in iis fœderibus constitutis ac

F

seruatis

seruatis, in conscientias seuitum non sit, quantumcumque  
illa non minus, ac quin magis etiam, quam alia scelerum  
petulantiarumque referta sunt: faxit D E V S, ut haec quoque  
verbi sui fructibus agnitis magis, magisque vilescant nobis,  
mutenturque aureis lutea. Ad Martinum conciliaque redeun-  
dum. Concilium Papiæ congregatum, propter pestem so-  
lutum, indictumque Pisas, in Annum 424. Inde ut septennio  
post Basiliae haberetur conuenit. Interim Pontifex, ut  
Boëmia bellum inferret, quod jugum Pontificium rejecissent,  
cum Germanis conspirauit, ac cum omnibus fere nationi-  
bus. Sed valde infeliciter: Quam sapè enim nouis undique  
collectis exercitibus in Boëmiam veniret, toties non tam  
Boëmorum virtute, quam subito quodam diuinitus im-  
misso pauore consternati, dispergitiq; desistere tandem om-  
nes sunt coacti, irritatiq; Boëmi ingentia dannalocis vi-  
ciniis dederunt.

Martinus 63. annos habens mortuus est Roma Apo-  
plexia, mandavitque antequam moreretur, ut concilium  
Basileam conuocaretur. Constantie enim conuenit, ut  
singulis annis decem, Concilium Oecumenicum age-  
retur.

Johannes Gerson eo tempore docuit, sententia docto-  
ris alicuius probata ac confirmata per sacram canonicanam  
Scripturam, magis credendum, quam declarationi Pon-  
tificis, aut concilii generalis. Paulus Episcopus Burgen-  
sis

sis hoc quoque tempore idem docuit. Sedit Martinus  
14. annis.

21.

Clemens VIII alias VIII. Anno 1424.

In scismate contr*à* Martinum quintum, Anno Christi  
1424. in locum Benedicti suffectus, tandem Martino  
ex decreto Constantiensis concilii cedens abdicauit.

22.

23.

Eugenius IV. Anno Christi 1431. Felix V.  
Anno Christi 1439.

Venetus Eugenius, Monachus Celestinus Gabriel, Con-  
delmeir ant*è* presbyter Cardinalis tituli S. Clementis,  
a Gregorio 12. populari suo in huc ordin*è* electus. Impera-  
tor Sigismundus postquam jam imperasset annos 23. Con-  
ciliaque, autoritate Imperatoria conuocauerat, nunc pri-  
mum ad hunc Pontificem Romam ad coronandum venit.  
Martini bona omnia Eugenius diripuit, ipsiusque etiam,  
nepotes ac familiares spolianuit. At Romani recuperanda  
libertatis sue, id tempus esse rati, ad arma conclamarunt,  
omnesque Eugenii prefectos cœperunt, interque eos Francis-  
cum Condemeierum nepotem aut nothum Pontificis,  
aliosque substituerunt Magistratus, quos gubernatores ap-  
pellarunt; quibus jus vita necisque esset. Pontifex igitur in-  
certus quo se verteret, fugam dare cœpit, accepto Mona-

F 2

chi

chi habitu, incautis custodibus, Tyberi Ostiam delatus:  
Tardius id quidam ex Romanis animaduertentes, saxa  
in Eugenium jaciebant, Pisas tamen evasit Eugenius,  
inde Florentiam mari profectus est, ubi aliquot annis  
commorans, sedecim Cardinales creat, inter hos Gracos  
duos, Bessarionem Nicenum hominem doctissimum, ac  
in doctos liberalissimum, & Isidorum Rhoxolanum, &  
item Vilemum Episcopum Rothomagensem.

Mandato deinde Eugenii, Julianus Casarinus Car-  
dinalis auspiciatus est Concilium Basileæ. At Itali, ut sibi  
potius concilia in Italia contuocata lucro essent, persuadent  
Pontifici, ut quinquennio aut ut alii septennio postquam,  
coptum erat (decennio enim preside Juliano ut diximus  
Cardinale S. Angeli Basileæ durauit) Basilea Ferrariam  
euocaret, ut inde Florentiam transferri posset, quod dice-  
ret, legatos Gracia Romam potius quam Basileam ventu-  
ros. At concilium Basileense friuolam eam exceptionem  
judicans, tribus, nuntiis Pontificem vocatum ac non  
comparentem, seditionem, Ecclesia persecutorē sanguinis  
ac bellorum cupidum pronuntiauit, eumq. exautorauit pu-  
blicè, mense Quintili Anni 1437. Quo comperto, Eu-  
genius Delphinum nomine Ludoci undccimi exciuit, qui  
mouens in Germaniam, concilium Basileense dissipavit,  
ante tamen Anno 39. in eo concilio, Amato Sabaudiae du-  
ce, nomine Felicis 5. successore dato, quod 23. Schisma  
Romane Ecclesie fuit; quod durauit annos 16. Gallie,  
Hispa-

Hispania Reges Eugenio paruerunt, alii Sabando, alii  
plane tandem neutri. Hic Amatus seu Amedeus, pri-  
mus Imperatoris beneficio Ducis nomen in eam familiam  
intulit, cum antea Comites Sabaudie vocarentur. Eu-  
genius verò Ferraria concilium congregauit, quo in ipse  
præsens. Venere eò Ⓛ Patriarcha Constantinopolitanus,  
ipseq; Imperator Iohannes Palacologus, cum fratre suo ac  
500. hominibus. Ibi Ecclesia Græca cum Romana conci-  
liata est, probantibus Græcis, Spiritū sanctū tam à filio  
quā à patre procedere, Purgatorium, Primatū Pontificis  
Romani. Verū cum redirent deinde in Graciā, factum  
est persuasione Marci Episcopi Ephesii, ut duos posterio-  
res articulos denuò negarent. In isto quoq; Florentino  
Concilio, Armenii Ⓛ Indi Ecclesia Romana conciliati  
sunt, promiseruntq; sese obseruatos Sacramentum  
consecrationis. Ad Basiliense verò concilium, Boëmi da-  
ta securitate fide publica venerunt: Quatuorq; propositis  
articulis, quibus disiderent à Romana Ecclesia, nempe  
utramq; partem cœna Laicis communem esse debere: Item  
Dominationem ciuilē Pontificis ac Sacerdotum contrā  
jus diuinum esse: Item prædicationem Euangelii debere  
esse liberam: Item sclera publica, quibus offendantur  
Christiani, auferenda esse; dicentibus: permisum à con-  
cilio est, ut utraq; parte Cœna, tanquam re licita, utili, ac  
salutari ex autoritate Christi omnes promiscuè, qui ut de-  
cet sacrum illud acciperent, uterentur.

Sanciuit concilium; Mariam virginem sine peccato originali conceptam Biturigibus prouinciali Gallie concilio, decreta Basiliensis concilii approbata, edita ibi pragmatica sanctio. Ludoicus Romanus eo tempore viuens, pro concilio Basiliensi contrà Eugenium consuluit. Vixere tum etiam Jacobus Aluarottus feudista, Abbas Panormitanus qui itidem Basileæ in concilio fuit aliiq;. Ad Eugenium hunc Laurentius Valla Apologiam scripsit, multa ab inquisitoribus heretica pravitatis passus; De quo Elogium Lutheri habetur: Vallam fuisse aut scintillam veteris Ecclesie aut somitem nouæ.

Eugenius Romam venit, eoq; postea Fridericum Imperatorem cum uxore sua venientem coronauit. Roma gratus Eugenii verò aduentus fuit, quod exactiones minueret. Conciliatus quoq; Eugenio Julianus Cardinalis est, qui Eugenii deinde jussu, Vladislauum Poloniae Hungariaq; Regem, à jurejurando Amurathi dato absoluit, in exitiumq; precipitauit. Franciscum Sforiam necessitate coactus Eugenius Agri Picem Marchionem creauit, adiecta igitur hac clausula: Quod Petrus ac Paulus male illi vertant. Sedit annos 16. Felix fere annos 10.

2.4

Nicolaus VI. alias V. Anno Christi 1447.

**G**enuensis Filius Chirurgi, Cardinalis Bononiensis. Eode ferè anno factus omnia, Episcopus, Cardinalis, Pontifex,

tifex 6. Martii electus, coronatus 19. Anni 1447. viuo ad-  
huc dum Felice Antipapa. Nicolaus autem magnus estimu-  
tus est Theologus, cui tandem sollicitatione Nicolai, interces-  
sioneq; Friderici Imperatoris multorumq; Principum, Ger-  
mania, Gallia, Anglia, ipsiusq; Sabaudia, Felix cessit,  
Lausanna. Nicolaus igitur Pontifex, Cardinalitio Ga-  
lero Felicem donauit, cumq; constituit legatum à latere, in  
Sabaudia, Gallia, Germania, omniaq; eius acta dum  
Pontifex fuit rata habuit. Nicolaus Jubileum celebravit,  
tanta hominum multitudine, ut 200. in foribus templorū,  
multo plures in ponte S. Angeli, dum rueret in flumen,  
perirent. Cooperire jussit templum Mariæ rotundæ plum-  
bo, quod antiquitus Pantheon dictum, reparauitq; tem-  
plum S. Stephani, adificauit fanum S. Theodori. Refecit  
pontem Milphium, multas stravit platæas, Donauit Ec-  
clesiis vasa aurea & argentea, & multas cruces lapidi-  
bus preciosis exornatas. Magnus Theologus adicator,  
Theologia viuos lapides Christo inadificantis, monumen-  
tum nullum. Roma verò religiosus inter Pontifices maxi-  
mè habetur, qui multa adificat. Theodorus Gaza, cum  
ei Aristotle à scolatinitate donatū dedicasset, nihilq; inde  
ferret, celebri dictorio in eius sordes lusit. Interpellatus  
Nicolaus à Grecis, non tulit eis contrā Meumetem Con-  
stantinopolim tūm capientem suppetias. Anno deinde  
1455. vitam cum morte commutauit, veneno infectus, ut  
visum est cum exenteraretur, Sedit 8. annis

Blondus

Blondus, cuius hoc de Roma sui temporis encomion est,  
quod principes orbis successorem Petri & Julii Vicarium  
adorent & colant (certe mira persona ex diuersis naturis,  
tyranni Iuli Caesaris vicarium esse & DEI, Christi &  
Beleal) Trapezontius, Gaza ut dictum est, Perottus, Jo-  
hanes de turre Cremata Cardinalis, Johannes Imola, Item  
Scanderbeg in diebus illis. Item Iacobinus des. Georgio  
feudista: errant, qui cum ad Bonifacii octani tempestatens  
referunt.

26.

Pius II. Anno Christi 1458.

**S**enensis, Aeneas Piccolomineus ante, per ambitionem  
tandem peruenit ad Pontificatum. Ex iuvene paupere  
doctissimus omnium Pontificum euasit, cum antea in  
Prussia repulsam passus erat, quo minus Episcopatum  
Varmensem adipisceretur. In concilio Basiliensi fuit se-  
cretarius Pontificis, ubi orationibus & Epistolis suis, au-  
toritatem Eugenii impugnauit, paulo post Poeta laurea-  
tus factus a Friderico Imperatore, cuius item fuit secreta-  
rius ac consiliarius, in multis legationibus apud Prin-  
cipes versatus, inde a Nicolao, Tergestino Episcopatu do-  
natus, post Episcopus in patria, & per Calixtum Cardi-  
nalis, ad bellum contrà Turcas Christianos adhortatus  
est. Acta Concilii Basiliensis quae ipse scripserat rescidit.  
Ludoico undecimo hostis fuit, quod ille nollet pragmati-

canus

cani sanctionem, in qua multa contrà libertatem cleri scri-  
pta sunt abrogare. Borsio Estensi, Duci Mutinensi,  
bellum intulit, quod à Galli partibus contrà Ferdinandi  
Alphonsi Hispani filium, quem Pius electo Andegauense  
in possessionem Regni Neapolitani miserat, stetisset. Si-  
gis mundū item Austria Ducem crudeliter atq; asperè per-  
sequebatur, quod Nicolaum Cusanum Cardinalem, prop-  
ter ipsius rapacitatem atq; arrogantiam, Austria exegis-  
set. Gregorio Hamburgensi Iuris consulto sacris inter-  
dixit, ut sese in Boëmiam sit coactus conferre. Diethe-  
rum item Eisenburgium, Archiepiscopatu Maguntino  
priuauit; quod diceret, cum sinistre de Ecclesia Romana  
sentire. Beneventanum item Archiepiscopum deiecit,  
¶ Gregorio Boëmia Regi diem dixit, sub pena multatio-  
nis regni, quod doctrina Iohannis Hussi faueret. Propter  
priuatum suum commodum multos exauitorauit Episco-  
pos, ¶ addidit ad Cardinalium numerum 12. Cardina-  
les nouos. Mantua concilium coëgit, in quo pragmaticam  
sanctionem abrogauit. Primus abbreviatores, Cancella-  
ria creamit, eosq; in ordinem rededit. Multas sibi ciuita-  
tes Campania, quæ nunc terra laboris, qui olim Hernici  
sibi subiecit, ¶ auxit mirabiliter redditus Ecclesiæ prædo-  
sanè pius. Multa edificauit Roma: Senis portam ex  
sectis lapidibus. Corfiniam pagum, in quo natus erat,  
multis à se adificiis auctum, Pientiam de suo nomine ur-  
bem dici voluit, magnificum ibi fanum, domum, sepul-

G

chrum

chrum marmoreum, suis parentibus exstruxit moritur  
Anconæ.

Pius contrà cœlibatum sententiam dixit; multos in-  
quiens presbyteros in coniugio seruari posse, qui in impuro  
ac sterili cœlibatu agentes condemnantur. Quin & mul-  
ta monasteria S. Brigitta ac S. Clarae sororum abolere vo-  
luit, monialibusq; mandare ut indelexirent, ne sub habitu  
religionis urerentur aut illicitum amorem sectarentur.  
Plerunq; quo quisq; impurior, eò minus fauet matrimo-  
nio. Eodem tempore certamen in Italia fuit inter mona-  
chos minores, & Bullistas, qui visitabant ac gubernabant  
moniales. Baptista Mantuanus eos in eclogis suis conci-  
liat. Sedit annis 6.

27.

Paulus II. Anno Christi 1464.

**V**Enetus, filius Polyxena, anté Petrus Balbus, nepos  
Eugenii ex sorore. Antequam ipsius aunculus ille in  
Pontificatum ascisceretur, mercatum ire volebat, at  
tum mutata sententia literis dedit operam, ac Romam ve-  
niens primū Archidiaconus Bononiensis, inde Episcopus  
Ceruinus, postea Cardinalis tituli S. Marci quo plerunq;  
titulo Veneti insigniuntur, Primus fuit Pontificum, qui  
sese omnia jura in scrinio pectoris habere dixit. Homo qui-  
dem procerus elegans (eoq; Formoso nomen sibi indere fate-  
git, Nā id dissuadentibus Cardinalibus succensuit) super-  
bus

bus tamen atq; auarus. Beneficia Ecclesiastica ad lucrum  
contulit aut vendidit. Fastuosissimus fuit omnium Pon-  
tificum. Coemptis enim undiq; adamantibus, Smaragdis:  
Chrysolithis &c. mithram suam exornauit, itaq; nun-  
quam nisi magnificentissime in publicum prodiit, ab omni-  
bus videri atq; adorari gestiit; Dilatatione q; exhibitionis  
sacri sudarii, similiusq; solitus est peregrinos in urbe deti-  
nere, ut à quibusq; spectaretur. Prohibuit ne qui rubro Ga-  
lero nisi Cardinalis uteretur. Cardinalibus item, initio sui  
Pontificatus, stragulis equestribus purpureis uti præcep-  
it. Ariminum aliasq; urbes diruit. Cum Venetis con-  
trà Turcam conspirauit. Literatos odio habuit. Plati-  
nam historicum, Pomponium Latum, Petrum, Callima-  
chum, Lucillum, qui Paulum Heliogabalum appellarat,  
conjurationis ac maiestatis reos factos, tormentis per  
Vianesium quendam, excarnificauit. Platina ac Pompo-  
nio illud etiam crimen impegit, quod semibarbari essent,  
ex Platone aliisq; barbaris de D E O aliisq; fidei arti-  
culis addubitarent, in utramq; partem leuiter disputa-  
rent. Incertos facerent homines mutatione nominum. Et  
certè non ab re inquisitione ista in Italia adhuc dum opus  
esset, ubi barbaris nominibus, vocabulis, argumentis,  
magis quam Christianis, in poesibus, in orationibus, in vi-  
ta communi utuntur, quos nostri tamen inanes excordes  
poetastris doctrine nomine admirantur. Indè verò dici  
posset Paulum ea ratione hæreses damnasse eos, qui ullam

aliquam literarum aut scholarum mentionem facerent, nisi ista barbaries ipsi Paulo meritò obiecta atq; exprobata fuisset. Nam nemo (inquit Platina) Paulo gentilitatis, statuarum barbararum, ac obscenarum studioſior: Omnium virtutum hostis, totus ambitioni ac dissolutioni voluptatibusq; addic̄tus fuit. Totam diem aut helluationibus aut vetustis nummis, lapidibusq; preciosis, picturis contemplandis transegit. Decreta aliaq; acta Pii antessoris sui maximo odio prosecutus, eos officiis priuauit, quos Pius doctrinae causa iudiq; conquistos euexerat. Georgium Boemiae Regem, heref eos condemnatum, in consistorio Romano regno priuauit, ac subinde per legatum suum, Principes Germanie, Regemq; Vngariae sollicitauit, ut Boemia Regem innaderent, quod ē factum; parteq; regni Georgius est exutus. In Poli oppido in Aequicolis, Dominum loci cum viris 8. faminis 6. comprehensum in famia grauiſſima notauit, quod dixissent nullum verum Christi Vicarium esse eorum, qui post Petrum fuere, niſi qui paupertatem Christi imitati eſſent.

Legato, quem Paulus in Galliam ad pragmaticam sanctionem abrogandam miserat, ſe oppoſuit M. Iohannes de Sancto Romano procurator generalis Regis, nec minis legati cedens, ſi ē officium inquit ē bona mihi perdenda ſint, non committam tamen, ut aliiquid fiat, in praedi- cium regni Reiq; pub. Iubileum ad viceſimum quintum quemq; annum rededit, propter animarum salutem, ſed omnino

omnino magis ad attrahendos nouos denarios, inquit  
Fasciculus temporum: nuper Gregorius XIII. ad duode-  
cimum & semi annum decurtauit, in proximo est ut ad  
Iudaismum res redeat.

Stanislaus Ruthenus commemorat Paulum Pontifi-  
cem, cum aliquando carmen quoddam famosum in se  
ac filiam suam compositum legeret, flere cœpisse, ac accu-  
fasse inter amicos suos rigorem legum de cœlibatu ab Ante-  
cessoribus suis latarum: propterea quod ipse, qui non so-  
lum caput Ecclesia, sed etiam continentie dici debebat, co-  
geretur videre omnes in filiam suam oculos figere, deq[ue] sua  
scortatione summo suo dedecore meditari. Et quanquam  
ipsa excellenti pulchritudine esset filia, tamen se se agre fer-  
re, cogitante quod ex illico concubitu eam genererit,  
cum lege diuina uti potuisset, qua matrimonium prolis ho-  
nestæ causa sanciret, in quo ipsa multo sanctius honestius q[ue]d  
nasci potuisset, si modo traditiones hominū de cœlibatu sibi  
non impedimento fuissent. Dicitur igitur persapè delibe-  
rasse Paulus, ut sacerdotibus conjugium restitueret, sed  
morte præuentus id exsequi non potuit. Nam quanquam  
ipsi persuasum erat, quod diu viaturus esset, subito ta-  
men Apoplexia periit, cum præcedente vespera bene cœna-  
tus esset. Sedit annos V I.

Jacobum Picininum Sulmonensem Comitem, judice  
appellationum vocabat, quod ille iniquas sententias Pon-  
tificis armis solitus erat cohæcere.

Sixtus IV. Anno Christi 1471.

**G**enuensis natione, Franciscus de Ruere ante generalis ordinis Franciscanorum, Cardinalis S. Sixti; cum coronaretur in vita discrimen incidit, subito exorta in Laterano seditione, ut in eum lapides jactarentur. Pontifex in suos liberalis fuit, per sapè contrà omne etiam jus ac rationem. Ad Cardinalitiam dignitatem Petrum de Ruere eiusdem ordinis ac gentis euxit, quanquam iste Petrus, homo natus esset ad dilapidandum argentum. Nam duobus annis quibus postea vixit 300000 ducatorum decocxit, multaq; etiam debita præterea reliquit.

Florentinos excommunicauit, quod Saluiatum Archiepiscopum Pisanum, qui cum aliis Episcopis ac Cardinalibus conspirans, in templo Florentia, sub eleuationem quam vocant Julianum Medicem interfecerat ac Laurentium Medicem vulnerarat, suspendissent in gabellum, in habitu adeo Episcopali. Concitauitq; Xystus Ferdinandum Regem Siciliae, Alphonsum Calabriæ, Fridericum Vrbini Duces, contrà Florentinos. At Laurentius, cum setantis hostibus in parem esse videret, secretò, consensu ciuium, nauim ingressus, in Siciliam adipsum Ferdinandum Regem nauigauit, cumq; sibi ac Florentinis suis, promissionibus tributorum, si ab eo bello, quod contrà Florentinos suscepisset cum suis, abstineret, reconciliavit

tanit, ac Veneti quoq; Florentinos contrà Pontificem ju-  
uerunt, post quam pacem fecissent cum Turcis: ut Sextus  
tandem cognita causa Florentinos Laurentiumq; absolu-  
ret. In Ferdinandum verò Apuliae Regem bellum tran-  
stulit Sextus, quod ille contrà voluntatem suam, juuisset  
generū suum Herculem Estensem, Ferrariae, perpetuitum  
obicis voluntatum Pontificum, Ducem, cum à Venetis  
obcessus esset. Contrà Venetos quinetiam bellum gessit,  
iisq; sacris interdixit. Manfredos patrem filiosq; Imolae  
Dominio deiecit, idq; domesico suo cuidam tribuit. Fo-  
ri Liui item gubernatoribus electis, familiarem suum  
quendam iis successorem misit

Dominicani hereticae prauitatis inquisitores co-  
tempore, Carmelitas vexarunt, inter ceteros Julianum  
quendam Brixensem, excellentem prædicatorem verbi  
DEI, & Petrum Nouellarium, pro quo Mantuanus scri-  
psit Apologian libris tribus comprehensam: Sed eam con-  
tentio[n]em pacauit Sextus (prudenter adeo. Nam id con-  
siliu[m] & inter nostros multas contentiones sopire posset) in-  
uidia causam inter ordines mendicantes tollens, disparita-  
tem priuilegiorum ac stipendiorum.

Supersticio eo tempore in Gallia ea[pt]a inuocandi  
Mariam horis meridianis, ad sonum campanæ, Ave  
Maria pacis dictum; & id propter indulgentias ac  
remissas, quas à Pontifice Ludoicus superstitionis-  
mus

mus Rex acceperat, E Galliis ad nos quoq; ea consuetudo  
superstitione manauit.

Annus Jobel anni 1475. quem frustra exspectans  
Paulus, antequam veniret, designarat, in Xysti Pontifica-  
tum incidens, quod è re Xysti esset, laudato decreto Pauli  
confirmatus est.

Inquisitionis Hispanica hic non leuis autor, tūm qui-  
dē in Iudaos, dein in alios etiam, hoc, ac successoribus, for-  
mulam dilatantibus. In Aragonia tamen tūm, ad sangu-  
inem usq;, contra eam ac Ferdinandi Regis suie coniun-  
cti vota ac mandata pugnatum est.

Schola T ubingen sis Constantiensis dioecesis, autoritate  
Apostolica instituta, in qua Iohannes Naucerus historicus  
prepositum egit eo tempore. Platina item hoc tempore vi-  
tas Pontificum Romanorum edidit, dedicauitq; Sixto, à  
quo ex carcere liberatus restitutusq; fuit Alexander item  
Immolensis Iurisconsultus, Et alii floruere Uesselus Gro-  
ningensis contra multas doctrinas Pontificias, de quibus  
nunc quoq; controversia est, De justificatione, De purga-  
torio Ec. scripsit. Sauiit Sixtus annos i4.

29.

Innocentius VIII. Anno Christi 1484.

Genuensis filius Aaronis cuiusdam hominis tenuis, Io-  
hannes Baptista Cibo ante dictus; Quod pulcer puer  
esset,

reducatus est in aulla Ferdinandi Regis Siciliae, ratione Ita-  
lica. Grandis statura, candidus, tardus tamen fuit, ac in-  
genio à studiis alieno, quod videretur persæpe cum nego-  
tiis publicis inter esset dormire, qui adeò dignus Pontifex.  
Tamen initio Pontificatus sui, contrà, Ferdinandum  
Siciliae Regem, cum eius regni proceribus conspirauit:  
Tali enim nutrio talis gratia debebatur. Robertum „  
Sanseuerinatem vocauit, ut eum suis copiis, quas contrà  
Ferdinandum pararat præficeret, inquiens licere propter  
dignitatem Ecclesiae, ac defensionem sanctorum arma ca-  
pere, ut pax tandem consequatur. Tandem cum se dece-  
ptum videret ratione sua, pacem coactus est petere, his  
conditionibus, ut sibi tributum suum redderetur annis sin-  
gulis, Et ut Pontificis hostes aut rebelles communi marte  
persequerentur: in quam rem Petrum Vincentium homi-  
nem audacem admodum, auditorem Cameræ, cum quo-  
dam secretario suo, ad solicitandum apud Ferdinandum,  
misit; frustrà tamē; neutrū enim à Ferdinando impetra-  
ri potuit. Indè se quoquo modo facta pace Innocentius, in  
otium, fraudes, voluptates, pompas, idololatrias deiner-  
sit. Meritò, (inquit poeta Marullus) Roma cum pa-  
trem vocat, quod omnia ipsius filiorum filiarumq; Rome  
plena essent, octo filios enim octoq; indidem filias habuit,  
suosq; ille nothos præter antecessorum suorum morem, ad  
honores promonuit, ac aliquot urbes in Latio Franeisco  
suo, maximamq; dotem sua Theodorinae, cum nuberet

H

Janu-

Januensi cuidam diuiniti dedit: Nouum item Collegium  
secretariorum instituit numerum corum augens, sui ccm-  
modi causa. Vendidit indulgentiam in mortuos quam  
in viuos. Aedificauit sumtuose, donauit conuentui Au-  
gustinianorum Bergomensium templum argenteum, ope-  
re exquisito ac mirabili. Tributum in bellum contra  
Turcam exegit, nominauitq; Carolum Gallie Regem  
Imperatorem Constantinopolitanum, sacraq; Principem  
militiae, qua verò impedita, aut nunquam suscepta po-  
tius, pecunia apud Pontificem mansit. Venetos absoluuit,  
quibus Sixtus sacris interdixerat. Norueganis perni-  
xit, ut suas missas sine vino canerent seu facerent. Ti-  
tulum Crucis Christi, & cuspidem lanceæ Longiniana,  
in antiquo muro inuenit, quibus quidem antequam ad  
aucupium suum uteatur, e' viuis excessit.

M. Johannes Anglus presbyter concrematus eo  
tempore Parisiis in foro suario, quod alii cuidam pres-  
bytero, hostiam ut vocant, cum eam leuaret, e' manu  
creptam, in solum proiceret. Sedit annis 8. Innocentius.

30.

[Alexander VI. Anno Christi 1492.]

H Ispanus, Valentia natus, Rodericus Borgia ante ne-  
pos Calixti Pontificis, sponsione cum malo genio fa-  
ela, cum jam in numerum Cardinalium ab Innocentio  
allectus

allectus esset, omnium Cardinalium votis in Pontificem  
evasit, quanquam alii ipso multo digniores Pontificatu,  
scelerati sceleratis potiores esse viderentur: homo vafer,  
ac per Vicerecancelarium suum, quem anteà gesserat,  
omnia ei consilia Roma Principum, ac urbium Italiae per-  
specta erant. Quapropter eos exinde sub jugum misit,  
iusus opera nothi sui Valentini, quem è Cardinali fecit  
Ducem, Cæsar is nomine. Qui igitur Gallorum atq; El-  
uetiorum subsidio, omnem fere nobilitatem Romanam  
trucidauit extirpauitq; ut post illud tempus, nullum (ut  
ante) periculum Pontificibus à Romanis ciuibus fuerit,  
ut demum in id tempus, Valentini Mylii poeta doctissimi  
maxime versus quadret.

Roma caput mundi veteris fit cauda Draconis.

Cardinales sex & triginta in suo Pontificatu crea-  
uit, inter eos Hispanos octodecim, & tris agnatos suos,  
Johannem, Valentimum, Franciscum Borgiam, quorum  
ceterorumq; nomina si opus sit querere, inuentu sunt in  
Onuphrii Monachi similiq; annumerationibus oscuro-  
rum virorum. Alphonsus verò Neapolis Rex, Iohanni  
Borgia nomine Pontificis juriurandum dedit sese fidelem  
Romanae sedi futurum, annum tributum quot annis per-  
soluturū. Muniit Alexander magnis sumtibus castrum  
S. Angeli, reparauitq; atq; expoliuit templum S. Marie  
maioris. In Cardinales qui eum legerant, summe ac cum  
primis ingratus exstitit. Quosdam enim eorum proscri-  
psit, alios

„ p̄sit, alios in carcerem coniecit, alios interfecit. Quod fre-  
„ quenter fieri solet, magnis viris impatienter forentibus  
„ exprobrationem, aut quod ij qui alios promouerunt, ita  
„ eos eo beneficio deuinctos aut suos putent, ut pessima  
„ quaꝝ aut quaꝝ hominibus tandem nullaratione, à quan-  
„ tumcunꝝ amico Principe, excusari possunt, sibi licere ex-  
„ istiment. Inuenias tamen & ita maleuola, siue inuida, si-  
„ ue ingrata natura praditos, qui nullaratione nec summis  
„ beneficiis ferri possunt. Porro nothū suum Principem Sici-  
„ lia fecit Alexander natu minimum, natu verò maximum.  
Hispania Ducebat, qui paulò post noctu Roma interfec-  
tus, in Tyberim abiectus est. Cæsar Valentinus medius  
natu erat. Qui ut dixi reiecto Cardinalis ordine, post  
fratris mortem, in Galliam cum magna summa argenti  
profectus, Ludoici Regis neptem sibi desponsauit, cumq;  
ea dotis nomine, Ducatum Valentiae in Delphinatu acce-  
pit, opeq; subinde Regis Gallia, complures ditiones in Ita-  
lia acquisiuit, ditioniq; sua adiecit. Hunc igitur, ac Pe-  
trum Aloysium, inter omnes Duces, Principes nè tam ad-  
miratur Machianellus; non serio (nisi hac tūm tempora  
ita tulerint, ut vitia virtutes dicterentur) ut puto, simulat  
ut omnia quoꝝ cætera Italus, ut facta communis sententia  
hominum, tūm persona, Principibus Christianis ferita-  
tem atq; instituta plus quam barbarica exprobraret; quem  
morem in ferendis quoꝝ legibus obseruauit Zaleucus;  
ut concessione vitiorum ex communi hominum usu de-  
pictorum

pictorum, homines enim magis à manifesta ac nota omnibus  
facta turpitudine deterretur. Superest Alexandri filia  
Lucretia eademq; uxor, si ita nominare scortum incestum  
liceat, primo Juliano Sfortia Duci Pisano, ac cum ab eo  
repudiata est, Ludoico notho Alphonsi Regis Terraco-  
nensis, tandem cum ille interfactus esset, Alfonso Estensi  
Duci Ferrariae nupsit, ac interim tamen etiam cum Patre  
ac Fratre consuevit. In Alexandrum ista scommata ja-  
cta sunt: Alexander vendidit Cruces, Altaria, ipsum  
Dominum Iesum Christum. Ius illi est ea vendere, quia  
ille prius emit. Pecunia enim eum Pontificatum comparasse  
scribit Jouius. Roma pergit de viciis in vicis, de flam-  
ma in ignem. ut Platonis dixerunt habet, sub istius Hi-  
spani gubernatione.

Tarquinius fuit sextus Regum Romanorum. Nero  
sextus Imperator. Hic est sextus sui nominis. His sexti  
pessundabunt Romanum.

A Baizete acceptis 200000. aureis eius fratrem  
Gemen veneno interfecit, quem forte ad fidem Christianam  
conuertere potuisset, si modò uilla fides ac religio Ro-  
mae fuisset, nec illi nomini Christiano labem coram barba-  
ris inferrent. Ipsum deinde Baizethem contrà Gal-  
lorum Regem Carolum in auxilium vocauit, promissa ei  
Neapoli.

Marrani, hoc est Indai in Hispania qui metu se si-  
mulant esse Christianos, at secreto peragunt suas Cerimo-  
nias

nias Iudaicas, in quos Sixti inquisitionis decretum latum,  
argento se Alexandro conciliarunt.

Ludoicus xii. Gallus Bononiam eiectis Bentiuolis  
Alexandro reddidit. Venetis item illas ciuitates, quas  
Ecclesia Romana ademerant erectas Pontifici restituit.

Hieronimus Sauonorolla Ferrarensis, Dominica-  
nus, mandato Alexandri, quod eius facinora reprehende-  
ret Florentia est crematus.

Antonio item Mancinello lingua exsecta ac amba-  
manus præcisæ jussu Alexandri, quod in eum, eius sceleræ  
reprehendens, scripsisset. Hermolaus Barbarus Roma in  
exilio peste moritur, Venetorū decreto, quod Patriarcha-  
tum Aquileiensem insciis Venetis ab Alexandro impe-  
trasset. Cognati item Hermolai à Venetis urbe pulsi, ipso-  
rum bona in ærarium relata. Habent enim quamplam le-  
gem similem Gallorū pragmaticæ sanctionis Veneti, quare  
cum Pontificibus semper digladiantnr.

Hoc seculum condidit Alexander Anno 1500. Ter-  
minatores instituit, potestate ipsis facta omnibus locis gra-  
tiam Jubilæi vendendi. Princes ad concelebrandum Ju-  
bilæum inuitauit permultis Bullis. Abbreviatores resti-  
tuit. Omnia per pulchre.

Mors tamen Alexandri pessima fuisse scribitur.  
Cum enim isti anni mensesq; exacti essent, quos cum re-  
gnaturum malis genius prædixerat, Alexander morbo  
correptus, in quem suo ipsius veneficio, quod Vrsino cui-  
dam

dam Cardinali pararat, errore pocillatoris hausto incide-  
rat, laborare cœpit. Qui tamen Diaboli ista prædictione,  
non ita ut sententia eius erat percepta, octo se amplius an-  
nis in tuis acturum esse sibi persuasit. Itaq; tum quoq;  
quandiu ex isto morbo decubitus esset, malum genium  
sciscitatus, euidam suo intimo Modena nomine nego-  
tium dat, ut è conclave ac armario quod designarat, li-  
brum ei auro ac gemmis tectum afferret; in quo scilicet  
iste artes malum genium aduocandi per scriptæ erant.  
Modena igitur in conclave illud veniens reperit suum  
Dominum Alexandrum in sella sedentem, quem jam jam  
in lecto reliquerat, præhorrore igitur non cunctandū ratus  
ad lectū rediit, Pontifici⁹ decumbenti quæ vidisset refert.  
Pontifex eum ea die quiescere jussum, denuò postridie co-  
mittit. Idem ille Alexandri forma in conclave qua pridie  
assidens, Modenam quid velit rogat. Modena quid  
Alexander cupiat respondet. Ibi malus genius. Non est  
quod librum consulat. Tempus est exactum quo mecum  
ille sit. Ego verò (inquit) horribili fremitu sum Ponti-  
fex. Quem tu mihi Pontificem narras? Post paucos dies  
quidam habitu nuntii, maximo impetu januam eius con-  
clave, in quo decubuit Alexander pulsabat, sibi esse quod  
necessario cum Alexandro loqueretur. Cum intro missus  
esset, aliqui aliquantum secessissent, ab illisq; verbis ali-  
quandiu ultiro citroq; habitis, audiri querela ac gemitus  
Pontificis. Nonne (inquietis) pollicitus, 18. annis me

Ponti-

Pontificem acturum, at nunc saltem undecimus annus ac  
octauis mensis mei Pontificatus est. Ad qua iste cursor,  
qui olim cum hac Alexandro promitteret vir granis pro  
thonotarius, (ne enim terribili sua larua ad se veniret, im-  
petrara tūm Alexander) duriter. Vos inquit non bene  
intellexistis illud verbi, sed admodum vos ipsi decepistis.  
Dixi enim futurum, vos Pontificem undecim & octo hoc  
est annis II. mens. 8. quod cum sit expletum nunc tempus,  
moriendum omnino est. Alexander multis orare, plorare,  
sed frustrā, surdo narratur, fabula. Diabolus inde disce-  
dit, unaq; anima Alexandri vociferantis, suspirantis, ge-  
mentis horribiliter, corpus relinquit, pergrandi etiam  
,, ære alieno, ditionibus oppignoratis, adibus ruinosis; ut  
,, tandem Pauperes sunt, qui diabolum colunt. Turbata  
item ac enuersa Repub. Romana ac tota Italia relicta.

Vitus Furstus Iurisconsultus, Maximiliani Casarii  
in Poloniam legatus, legatum Alexandri superiorem lo-  
cum tanquam pro dignitate occupantem loco detraxit, Cæ-  
sar is in Pontificem imperium vindicans, ut eo quoq; tūm  
maxime casu infelix Alexander ac sedes Romana fue-  
rint, ut adeò iis aliquamdiu exinde successoribus Eccle-  
siae Romanae opus esset, qui istam aliquantulum plagam  
bestie sanarent aut tegerent potius.

Hunc